

torum iam alias factum et qui eo tempore fiebat a parte australi et occidentali metuentes, anno predicto, scilicet 421, die XVI martii, decreverunt urbem portualem et refugialem construere circa hostia fluvii Rivi alti, ubi dicitur Rivus altus, quamque ex collectis multis insulis maris et lacunarum et gentibus de provincia Venetie fecerunt, et voluerunt Venetias appellare, et, missis illuc tribus consulibus, qui superessent per biennium dispositioni operis, die 25 martii principium fundamenti iactum fuit circa horam meridiei.

Nomina consulum missorum sunt hec, videlicet:

Aldebertus Faletrus	}	Consules missi anno 421
Thomas Candianus		
Zeno Daulus		

Lucianus Gavila	}	Consules missi anno 423
Maximus Lucius		
Ugo Fuscus		

2. - 537-8. *Cassiodorio, pref. del pret., ai Tribuni marittimi della Venezia.*

Fonte: Cassiodorii M. A., *Epistulae variae*, l. XII, epist. 24.
 Ediz.: Monum. Germ. Hist., *Auct. Antiquis.*, vol. XII, p. 379 sg.

Tribunis maritimorum Senator, praef. praet. Data pridem iussione censuimus, ut Histria vini et olei species, quarum praesenti anno copia indulta perfruitur, ad Ravennatem feliciter dirigeret mansionem. Sed vos, qui numerosa navigia in eius confinio possidetis, pari devotionis gratia providete, ut, quod illa parata est tradere, vos studeatis sub celeritate portare. Similis erit quippe utriusque gratia perfectionis, quando unum ex his dissociatum impleri non permittit effectum. Estote ergo promptissimi ad vicina, qui saepe spatia transmittitis infinita. Per hospitia quodammodo vestra discurritis, qui per